

ipsum, ut ad objectum, nisi per respectum, et tendentiam; ergo in ipso respectu moralitas ab objecto accepta, et participata consistet.

XXX. Et hæc ratio militat etiam in actibus malis malitia morali (ex quo probata manebit ultima pars conclusionis) si quidem malitia moralis, cum sit defectus in regulatione rationis, et obliquitas a lege, non potest convenire actui nisi mediante objecto: sicut enim actui convenit regulatio prout attingit objectum, et quatenus prius intelligitur objectum regulatum, et inde actus, sic obliquitas regulationis debet convenire actui, quatenus tangit objectum non regulatum, neque subiectum regulis rationis, juxta illud Osee ix: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*. At non potest actus ab objecto participare, et derivare hanc malitiam, et hunc defectum regulationis, nisi mediante respectu, et tendentia ad tale objectum; ergo etiam in malis actibus ipsa moralitas malitiæ in positivo respectu, et tendentia debet consistere. Minor probatur, quia in actu non invenitur nisi ordo, seu tendentia ad objectum, et privatio rectitudinis debitæ. At non potest ad objectum comparari, et ab eo deordinationem, et malitiam participare media privatione tamquam ratione formali; ergo medio respectu, et tendentia. Minor probatur, quia non participat actus aliquid ab objecto, nisi quatenus tendit ad illud ut ad terminum, et rem circa quam versatur, non versatur autem circa objectum mediante privatione, sed mediante respectu, et tendentia, quia privatio non tendit, neque comparatur nisi ad formam privatam: objectum autem licet in se sit aliqua privatio, et malum, nunquam comparatur ad actum ut forma privata per illum, si quidem actus versatur circa objectum, non illo pri-

vat, nec ei opponitur; ergo licet actus in quantum defectuosus, et tendens ad objectum pravum habeat annexam privationem, tamen repugnat, quod privatio sit id, quo actus participat ab objecto rationem objectivam, quæcumque illa sit sive conveniens rationi, sive disconveniens; ergo neque formalis ratio moralitatis in quantum hausta, et participata est ab objecto, quia illud est formale in moralitate, quod est ratio accipiendi illam ab objecto, si quidem moralitas non consideratur in actu, nisi ut accepta ab objecto, quia non regulatur, nisi ratione objecti attackti.

XXXI. Dices: Verum est quod privatio in actu malo non est ratio tendendi in objectum suum, quia non privat illo, est tamen ratio carenti objecto bono opposito, et consequenter regulatione bona, quæ in tali objecto est, et sic per privationem respicit bonum morale oppositum, licet per relationem, et respectum tendat ad objectum proprium, et in illa privatione constituetur moralitas actus mali, et defectibilis.

XXXII. Cæterum hæc solutio abundantius confirmat nostram sententiam, quia actus malus habet se ad ista objecta, scilicet ad objectum deordinatum, quod respicit, et ad objectum bonum, quo privat ordine quodam, et prius attingit objectum quod diligit, quam objectum quo privat; ideo enim recedit ab isto objecto bono, et privatur illo, quia accedit, et tendit ad illud pravum; et prius est in actu tendere, quam recedere, constituitur enim per tendentiam, non per recessum, et semper id quod constitutum est præcedit, et quia ex parte ipsorum objectorum datur ista oppositio, ideo accedendo ad unum, recedit et privatur altero. Ergo privatio illa est secundaria, et consecuta, nec ratione illius potest habere actus

moralitatem primo, et per se, quia cum primo tendit ad objectum proprium per respectum, et habitudinem antequam intelligatur privare bono opposito, illa tendentia est in genere moris, quia est ad objectum non habens præcise bonitatem in genere naturæ, sed in ratione disconvenientis ad rationem si quidem est tale quod ex illo sequitur privatio objecti boni oppositi; ergo jam habet in se aliquid pertinens ad regulam, et ordinem rationis, alias non posset in quantum tale opponi, et fundare privationem boni finis. Ergo ante privationem invenitur moralitas in actu respectu objecti proprii quod diligit, et ad quod habet tendentiam, illud enim in se pravum est. Unde et Scriptura in loco supra citato ab objecto, quod diligitur malitiam sumi significat illis verbis: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*: id autem quod diligitur ab aliquo actu positive respicitur, et tenditur ad illud, non privatur eo quia non opponitur illi; ergo illud diligere, et illud positive respicere objectum proprium etiam moralis ratio, et formalitas est; sed non est in linea et genere boni, cum sit ratio, et fundamentum privandi bono opposito, et rectitudine; ergo est in linea mali. Nec solum est fundamentaliter morale, sed formaliter, quo ille actus formaliter, et secundum formalem, et positivum respectum, quem habet non est solum in genere naturæ, respicit enim (ut dictum est) objectum secundum quod cadit sub ordine rationis; ergo formaliter, et non solum fundamentaliter est in genere moris. Et sic genus moris, etiam in malis actibus, positivum respectum dicit, et in illo genere morali non potest ille respectus pertinere ad lineam, et speciem boni, sed mali. Quare quæcumque privationem, quam habet actus malus,

habet haustam ab objecto, et quasi secundo consecutam, quatenus objectum, quod respicit, et ad quod tendit privationem habet objecti boni. Ab objecto autem, quod est proprium, et specificativum actus non participatur, et accipitur aliquid per privationem erga illud, sed per tendentiam, et respectum, qui est modus attingendi objectum; ergo moralitas etiam in actibus malis per respectum, et tendentiam positivam convenit actibus, non per privationem. An vero ex hoc colligatur, quod formalis, et propria ratio constitutiva actus mali, et peccati sit aliquid positivum, vel privativum, sequenti disputatione dicemus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIII. Contra primam conclusionem arguitur, quia posita libertate in aliquo actu, et secluso quocumque alio respectu, ille actus est moralis; ergo moralitas non addit aliquid supra libertatem, et rationem voluntarii. Consequentia est nota. Et antecedens probatur; tum, quia ratione libertatis actus est capax assuefactionis, et moris, cujus non est capax actus necessarius; ergo est moralis, quia actus dicitur moralis ab ipso more seu assuefactione; tum, quia hoc ipso quod actus est liber est imputabilis ad laudem, vel vituperium, ergo habet moralitatem. Patet consequentia, quia imputabilitas est passio actus non in genere naturæ; ergo in genere moris; ergo cui convenit imputabilitas, convenit moralitas. Antecedens vero constat, quia ex vi libertatis habet actus procedere ab aliquo cum dominio, et potestate faciendi, vel non faciendi; ergo potest puniri, vel premiari; ergo et imputari, seu reatum habere pœnæ, vel præmii; tum de-

nique, quia nihil fingi potest quod sit genericum, et commune speciebus moralibus boni, et mali nisi ipsa ratio liberi, nec aliquid est immediate determinabile per bonum, et malum nisi ratio liberi; ergo illud est genus moralitatis.

XXXIV. Confirmatur, quia D. Thomas pluribus in locis docet, quod genus moralitatis est voluntarium, seu liberum, ut supra, quæst. I, art. II et III, ubi dixit: «Actum in tantum esse humanum in quantum voluntarium;» ubi illa reduplicativa in quantum reduplicat rationem formalem. Et idem docet in hac quæstione XVIII, art. VI, additque ad majorem explicationem: «Quod id quod tenet se ex parte voluntatis se habet ut formale in actibus humanis.» Non ergo materia actuum humanorum est ratio voluntarii, si quidem dicit D. Thomas quod se habet ut formale. Item in quæstione XXI, artic. II, docet actum in tantum esse imputabilem in quantum habet homo dominium illius, habere autem dominium proprie, et formaliter pertinet ad voluntatem. Et tertio contra gentiles, cap. IX dicit: «Quod secundum hoc aliquid pertinet ad genus moris secundum quod est voluntarium,» quod etiam concedit hic quæst. XX, art. II ad tertium, denique in II, distinct. XL, quæst. II, art. I dicit: «Quod actio voluntatis per se est in genere moris, et per se distinguitur differentiis hujus generis, scilicet per bonum, et malum.» Illud autem pertinet per se, et formaliter ad aliquod genus, quod per se dividitur differentiis illius generis. Si ergo actus voluntatis per se dividitur istis differentiis, utique ratio voluntarii, seu liberi genus illius est.

XXXV. Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod actus voluntarius ratione libertatis, quæ est voluntarium

perfectum est etiam capax assuefactionis moralis, quæ est perfecta (nam assuefactio imperfecta, et non moralis etiam in brutis, quæ sunt disciplinabilia invenitur, sufficitque ad illud voluntarium imperfectum, seu spontaneum) ex hoc autem, quod solum actus liber est capax moris, seu assuefactionis perfectæ, et secundum rationem, non sequitur quod moralitas ipsa formaliter consistat in ipsa libertate, et in ratione voluntarii, sed quod voluntarium, seu liberum sit capax moralitatis. Capacitas autem ex parte materiæ se tenet.

XXXVI. Ad secundam probationem dicitur, imputabilitatem non sequi ad actum voluntarium, ut præcise voluntarius, seu prout a voluntate est, sed prout est voluntarius regulatus, et a ratione, et lege: nam lege deficiente, nec actus imputatur, nec punitur, quia: *Ubi non est lex, nec prævaricatio.* Et quia de omni actu libero, vel per se, vel ratione circumstantiæ adjunctæ, datur aliqua lex, vel consilium, vel regula, quia de omni verbo redditori sumus rationem, ideo posita libertate censetur sequi imputabilitas, quia supponitur tale liberum habere regulam, nec manere in præcisa ratione liberi. Dicitur autem sequi imputabilitatem ex eo, quod procedit ab aliquo cum dominio, et potestate faciendi, distinguo; ex potestate, et dominio subjecto regulis rationis, et legi, concedo; non subjecto, nego. Nec enim punitur, aut præmiabitur actus domini si non sit lex, aut consilium, aut regula juxta quod, vel contra quod faciat.

XXXVII. Ad tertiam probationem dicitur posse assignari aliquid communi omnibus speciebus moralibus boni et mali, scilicet respectus ad objectum, ut cadit sub ordine, et regulis rationis, sive per conformitatem, sive per difformitatem; tam

difformitas enim, quam conformitas in actu, respectum important ad objectum talibus regulis subjectum, et sub tali ordine cadens. Et quidem in ipso actu quatenus liber, et voluntarius, seu quatenus præcise est a voluntate, solum consideratur aliquid commune actibus moralibus per modum subjecti, et capacitatis, seu materiæ regulabilis, et dirigibilis secundum regulas rationis, sicut in factibilibus ex parte materiæ, puta ferri, vel ligni, solum consideraturabilitas, aptitudo materiæ, ut sit ordinabilis a forma artis. In ipso autem actu quatenus formaliter moralis assignatur ordo aliquis ad objectum sic regulabile, et ordinabile, et hic ordo communis est omni speciei moralitatis, tam bono, quam malo.

XXXVIII. Et hoc ideo est, quia actus non sic ordinantur a prudentia, et ratione sicut materia externa, et factibilis ab arte; hæc enim materia non est aliquid quod versatur circa aliqua objecta, sed tantum in se passive suscipit formam, et ordinem artis. At vero actio, seu actus, qui versatur circa objecta, et tendit ad illa non dirigitur a suo regulante recipiendo præcise aliquam ordinationem, seu formam passive, sed habendo tendentiam ad objectum sic, vel sic ordinatum, et regulatum, ideoque tota regulabilitas, et ordinatio actuum per ordinem, et tendentiam ad objectum circa quod est, accipi debet. Et sic in ipso actu bene assignamus aliquid commune, scilicet tendentiam illam ad objectum, ut cadit sub ordine, et regula rationis, quod est commune ad id quod cadit per conformitatem vel difformitatem convenienter, aut disconvenienter: sicut etiam in actibus intellectus assignatur aliquid commune ad actum evidentem et inevidentem, certum vel incertum, scilicet actus intellectivus tendens

ad objectum prout intelligibile; sic assignatur in præsentis actus moralis, et actus prout moralis est tendens ad objectum prout cadens sub ordine rationis.

XXXIX. Quod si inquiras: Ex parte ipsius objecti regulabilis, et moralis, quid est illa moralitas objectiva in communi, quæ ex parte actus attingitur ista tendentia, seu habitudine, ita quod illa moralitas objectiva abstrahat a conformitate, et difformitate a regula, quid est illud ex parte objecti.

XL. Respondetur quod in hoc non est multum laborandum, quia non est necesse ex parte objecti, et in communi semper assignare aliquam rationem omnibus modis unam ex parte rei affectæ, et objecti quod, aut rationis quæ: sufficit quod proportionem aliquam habeant, et uniri possint in una ratione formali sub qua, et ita cum difformitas, et conformitas ad rationem convenient inter se, saltem sub aliqua comparatione ad regulas rationis, sufficit hæc unitas comparativa, seu attingibilitas objecti sub regulatione rationis, vel ejus opposito, quod est difformitas a regulatione: sicut etiam in scientiis, eadem scientia, quæ agit de uno contrario, agit de alio, et quæ agit de forma, agit de privatione, ut in physica, quia contrariorum eadem est ratio. Et si inquiramus, in quo conveniunt forma, et privatio, ut de eis tamquam de uno objecto agat eadem scientia, dicimus quod non conveniunt in uno objecto, quod sit entitative, et univoce unum, sed quod objective sit unum; esse autem objective unum est unitas ordinis, et respectus seu comparationis, et sic est unum unitate ordinis, seu respectus, quatenus utrumque objectum est comparabile ad idem, et sub eadem proportionem considerabile, quia scilicet pertinet ad aliquam

rem, non solum id quod ei convenit, sed etiam quod ei repugnat, et quia ad se pertinet, sub eadem formali ratione concluditur, et potest ad idem objectum formale referri: sicut eadem ars respicit artefacta, et defectum artis, quem reparat tamquam quid pertinens, saltem reductive, ad regulas artis, licet non conveniant in eadem entitate positiva, nec utrumque reguletur eodem modo a regulis artis. Sic objecta appetibilia conveniunt in genere morali, etiam ex parte objecti quatenus comparabilia sunt ad regulas rationis, licet non eodem modo, sed unum comparatione conformitatis, aliud comparatione difformitatis, et utrumque convenit in ratione comparabilitatis, pertinetque unum ad aliud, et reducitur ad illud saltem pertinentia contrarietatis, et oppositionis, eo modo quo oppositorum eadem est ratio.

XLI. Ad confirmationem principalis argumenti respondetur, quod in locis, in quibus D. Thomas docet actum esse humanum, seu moralem in quantum voluntarius est, et a voluntate procedit, id in quantum potest reduplicare, vel rationem formalem, vel conditionem requisitam: utrumque enim reduplicari posse constat, quia dicimus, quod ignis calefacit in quantum applicatus, quæ est conditio requisita, et in quantum calidus, quæ est ratio formalis, et reddimus pro causa calefactionis, tam ejus calorem, quam applicationem. Si reduplicat D. Thomas rationem formalem, sensus erit quod actus est humanus in quantum voluntarius non absolute, sed in quantum voluntarius regulatus, id est, ut respiciens in objecto id quod est rationis, et mensuræ. Id enim explicat D. Thomas aliis locis, dum dicit actum esse humanum, in quantum cadit sub ordine rationis, ut infra quæst. XIX, art. I ad ter-

tium, et in hac quæstione XVIII, art. V, in corpore, et aliis locis supra allegatis. Si vero illa reduplicativa in quantum solum reduplicat conditionem requisitam, ut actus sit humanus, sic absolute actus est humanus, quia voluntarius et liber, quia libertas est conditio ex parte actus requisita, tamquam debita materia, ut regulabilis sit a ratione, sed etiam ut moralis sit, quia talis regulatio solum cadit super actum liberum tamquam circa materiam, ita quod esse liberum sit conditio requisita ut materia illa regulabilis, et moralis sit: sicuti in fine esse cognitum est conditio ut possit finalizare.

XLII. Cum vero dicit D. Thomas in hac quæstione XVIII, art. VI: « Quod id quod ex parte voluntatis se tenet est formale in actibus humanis » expresse loquitur de actibus humanis externis, qui ex se non sunt voluntarii, neque morales, sed ex imperio, et motione voluntatis, et omne quod movet, et imperat alteri vocatur formale respectu illius in quantum motum est, quia sic dat illi aliquam formam, aut impressionem, aut ordinem, et id quod sic imperatur, recipit illam. Non autem loquitur D. Thomas de omnibus actibus humanis etiam internis, et a voluntate elicitis, qui ex se voluntarii sunt, et a regulatione rationis morales. Bene stat autem quod id quod est formale respectu unius sit materiale respectu alterius. Nam respectu actus externi, qui de se, et elicitive voluntarius non est, formale est quod sit voluntarius ex alio et imperativo, scilicet ex voluntate imperante illum; sed tamen etiam in ipsa voluntate, et actu interno id quod est voluntarium materialiter se habet ad hoc quod est regulatum esse, et moralizatum a ratione, ex ordine ad quam actus dicitur moralis.

XLIII. Denique cum dicit D. Thomas in II, dist. XL: « Quod actio voluntatis per se est in genere moris, et per se dividitur differentiis illius, » loquitur de actione voluntatis ut subjecta rationi, et regulata regulis ipsius, non secundum se præcise, sicut explicat hic quæst. XVIII, art. V, ut supra diximus: sicut enim potest concipi artefactum in communi quod dividatur per se differentiis artificialibus diversorum artefactorum, ita potest considerari actus moralis moralitate in communi, qui per se dividatur differentiis moralibus in quantum actus moralis est, licet tam moralitas in actibus, quam artificialitas in materiis sit aliquid accidentale ipsi actui, vel rei consideratæ in ratione entitatis physice, et naturæ. Quid sit autem ista moralitas in communi, jam explicatum est.

XLIV. Secundo arguitur contra secundam conclusionem, quia ordo moralitatis non semper est intrinsecus, et realis in ipso actu, ergo falsa est conclusio. Antecedens probatur, quia habitudo moralitatis dependet a circumstantiis, et a lege; circumstantiæ autem sæpe sunt extrinsecæ, ut locus, et tempus, consanguinitas, affinitas, etc. et lex positiva extrinsece se habet ad objectum lege prohibitum, vel præceptum; ergo non potest ex illis desumi realis ordo moralitatis in actibus. Patet consequentia, quia istæ circumstantiæ, et ista lex positiva ita extrinseca sunt ipsi actui, quod nihil reale ponunt in ipso in esse naturæ, sed omnino accidentaliter se habent ad actum in esse naturæ consideratum; ergo neque aliquid reale ponunt in genere moris. Consequentia probatur, quia si realis respectus, et ordo est illa moralitas, aliquam entitatem, et naturam debet efficere, et cum ipso transcendentali respectu ipsius actus (qui

utique est entitas illius, identificari. Ergo si respectu entitatis ipsius actus considerat, in esse naturæ est denominatio extrinseca, et accidentaliter respectus ipsa moralitas, non potest esse intrinseca, et realis habitudo in ipso actu. Nec enim potest esse intrinseca habitudo per modum relationis prædicamentalis ei supervenientis, quia non est ad purum terminum, sed ad objectum, nec habet aliquid reale in actu super quo fundatur: ergo est transcendentaliter respectus si est realis; ergo identificatus cum ipsa entitate actus in genere naturæ; ergo non accidentaliter, et superveniens illi, quod est absurdum.

XLV. Confirmatur, quia potentia voluntatis antecedenter ad ordinem positivum ad objectum, habet subordinari regulis rationis non per aliquid intrinsecum in se, sed per extrinsecam denominationem, et ex hoc habet sufficientem moralitatem ipsa potentia; ergo et actus. Consequentia patet, quia actus exprimit in se id quod invenitur in potentia a qua procedit, in actu primo, quia totum quod est in actu derivatur in ipsum a potentia: nec enim ex alio principio potest haurire in genere causæ efficientis moralitatem, quam ex illo principio a quo elicitur; ergo qualis fuerit in voluntate moralitas in actu primo, talis participabitur ipsi actui in actu secundo, quatenus a tali voluntate procedit. Antecedens autem probatur; tum, quia voluntas de se est indifferens ad velle, et non velle, et non minus participat, seu habet moralitatem in uno, quam in alio, ut patet in peccato omissionis, quod moralitatem habet, et tamen hanc non habet omissio per positivum respectum, et tendentiam ad objectum, quia actus non est, ergo solum illam habet ex denominatione voluntatis a qua est, et sic non omnis mo-